4.

2

Q. D. B. V.

PROBLEMA POLITICUM

DE

DUELLORUM VARII GENERIS MORALITATE,

QVOD

CONSENSU AMPLISSIMÆ PHILOSOPHORUM FACULTATIS

IN ACADEMIA LIPSIENSI

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Excellentissimi atque Præclarissimi

DN. M. JACOBI THOMASII,

Eloqv. Prof. Publ. Celeberrimi, Facult. Philosoph. Assessoris Gravissimi, & Min. Principum Collegiati Meritissimi,

Dn. Cognati ac Promotoris sui honoratissimi, Præceptoris fidelissimi,

Publicæ Eruditorum disqvisitioni exhibet

Ad d. IX. Septembr. A. O. R. M. DC. LXXI.

ENOCHUS Heyland/Lips.

LIPSIÆ,

LITERIS CHRISTIANI MICHAELIS.

VIRIS

Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis, Experientissimo ac Excellentissimis

DN. JOHANNI CHRISTOPHORO MARCI,

JCto undique Celeberrimo, Sereniss. Reverendissimiq; Domini Episcopi Martisburgici à Consiliis intimis, Serenissimi itidem Saxon. Electoris ab Appellationibus, Scabinatûs penes Lipsienses Seniori, Supremæ Curiæ provincialis Assessori, ut & ejus, quæ inferioris Lusatiæ est Senatori.

DN. LUCÆ LYSERO,

JCto itidem Celeberrimo, Serenissimi Electoris Brandenburgici Consiliario Aulico longè gravissimo.

DN. MICHAELI Heyland/

Phil. ac Medicinæ Doctori famigeratissimo, Illustris Giessensis Academiæ Professori Publ. Facultatis Medicæ Assessori, nec non Giessensis Reipubl. Poliatro.

Viris de singulis, quæ sustinent, officiis summè meritis.

Dominis, Patronis, Promotoribus, Affini, ac Patruo filiali observantiæ cultu proseqvendis

Hanc de Duellorum Moralitate, Dissertationem sacram esse cupit

ENOCH Heyland.

B. C. D.

Procemium.

INter alia, bonam Reipubl. constitutionem tuendi media, non infimum esse illud, si non irrumpentibus solùm in Rempubl. vitiis, legum severitas se opponat, sed & improbæ consvetudines, utut longâ temporis præscriptione tueri se qveant, radicitus evellantur, jamdudum cordatiores judicavêre Politici. Eqvidem Gentes multæ, iis rebus olim indulsêre licentiam, quas magna comitatur turpitudo. Suffecerit hîc Lacedæmoniorum exemplum. Horum Resp. egregiis quibusdam institutis alioqui gaudens, in tantum tamen à rectæ rationis normâ descivit, ut furtis, quôd horum non parva in bello esset opportunitas, (fuit autem ipsa maximè studiis belli dedita) concederet licentiam. Similis planè majorum nostrorum aliorumque populorum animos quondam invaserat perversitas, ut Duella propter leves etiam controversias suscepta non permitterent modò, sed etiam suscipi vel legibus juberent. Succedentibus autem postea, qui moratiores essent, Principibus, tam nefarius duello congrediendi ritus severis interdictus legibus sensim expiravit. Hoc laude dignissimo instituto ductus, hanc potissimum Disputationi aptare volui materiem. Ut autem varam, quod est in veteri verbo, vibia sequitur, sic invitari me ad alia etiam duellorum examinanda genera sum passus.

Omnem verò hanc Diſputationem in ſex Capita lubet dividere, quorum primum Duelli Nomen, Definitionem, Cauſas ac Diviſiones exponet; Secundum Antiquitatem & Exempla varia intuebitur; Reliqua circa Moralitatem denudandam occupabuntur, ita quidem ut Tertium caput hoc faciat circa duella præmeditata publica; Quartum circa privata Judicialia; Quintum circa Extrajudicialia; Sextum circa Extemporanea.

CAPUT I.
Duelli nomen, definitio, cauſæ, diviſiones.

§. 1.

CIrcà inqvirendam Duelli *Etymologiam*, quod à duobus ita dictum eſſe manifeſtè apparet, non eſt, cur moræ multum trahamus. Id obſervetur tantùm: *duorum* nomine non neceſſariò *duas* tantùm *perſonas* intelligendas eſſe, ſed in genere duas *partes* confligentium, ſive una tantùm perſona, ſive unâ plures quamlibet partem conſtituant.

§.2. Ad *Homonymiam* quod attinet, vocabulum Duelli variæ apud autores eſt ſignificationis. Alicubi idem, quod nos *bellum* famosè ſic dictum appellamus, ſignificat. Ita Horatius inquit *a*)

Græcia Barbariæ lento colliſa duello.

Ita Feſto *b*) duellum quoque eſt bellum, *videlicet quod duabus partibus de victoriâ contendentibus dimicatur.*

a) lib. 1. epiſt. 1. v. 7. b) Voce Duellum.

§. 3. Nempè latinorum antiqviſſimis ignota vox erat belli. Duellum autem generaliſſimâ notione uſurpabant pro quolibet dimicantium conflictu. Duabus autem interdum ſyllabis id pronunciaſſe ex hoc Lucretii *c*) hemiſtichio:

-- -- *eqvorum duellica proles*,

obſervavit etiam Obertus Giphanius *d*)

c) lib. II. d) in Collectan. Lucret. p.m. 333.

§ 4. Poſteà, ut ex *duonus* fecerunt *bonus*, ſic ex *duellum*, *bellum*. Sic enim Scaliger *e*) magnus in hoc literaturæ genere Vir: *Bellum*, inquit

inquit, *quia fuit initio duellum à duobus. Nam licet multi ſint milites, duæ tamen partes ſunt, ac inter duos tantùm primum bellum fuit.* Cui ſententiæ ſubſcribit etiam Voſſius *f*) inſignis Philologus.

e) lib. III. Poët. c. 90. p. m. 360. f) f. 69. Etymol.

§. 5. Remanſit tamen Duelli vox, ſed ſignificatu ſtrictiore, nec eo tamen uno. Aliter enim popularis loquendi conſvetudo eam exaudit; aliter uſurpant eruditorum, qui de Duellis expreſsè ſcripſêre, commentarii.

§. 6. Popularisſimè duellum id eſt Latinis, quod Græcis *μονομαχία* h. e. conflictus perſonarum non niſi duarum, ut ab utraque parte ſcilicet non niſi unus depugnet.

§. 7. Eruditi cùm animadverterent, eveniſſe in duellis, quæ poſtea *g*) decretoria vocabimus, ut non ſemper ſolus cum ſolo, ſed interdum bini cum binis, terni cum ternis, & ita porrò, congrederentur, ratioque ad eandem notionem hæc omnia revocare juberet, duelli vocabulo latiores quidem paulò limites poſuêre, ſic tamen, ut à bello, ſenſu item ſpeciali dicto, diſtingueretur duellum, cum eoque ſimul generaliter dicti belli latitudinem exhauriret.

g) §. 30.

§. 8. Hoc ergò ſpeciali ſenſu dimicatio duarum partium, cùm dimicantium utrinque numerus inæqualis eſt, *Bellum* vocabitur, ubi æqualis, *Duellum*.

§ 9. De *pari* autem, ſeu *æquali* confligentium *numero* id obſerva, *numeri* vocabulum ita nos laxè, neceſſitate argumenti coactos, accipere, ut etiam, ubi ſoli duo concurrunt, uterque tamen è ſuâ parte numerum facere intelligatur. *Paritas* autem ſeu *æqualitas* numeri ex eo æſtimatur, ſi nec plures ab unâ parte, nec pauciores compareant, quàm ab alterâ.

§ 10. E duabus autem illis duelli acceptionibus populari & eruditâ, poſteriorem facimus inſtituti noſtri, quæ adhuc ita generalis eſt, ut duellorum varia genera, qvorum infra *h*) diſcrimina proferentur, comprehendat; ac prætereà haſtiludia ſeu torneamenta: de quibus tamen quia propoſitum nobis agere non eſt, providebimus, ut ea definiendo excludamus.

h) §. 25. & ſeqq.

§. 11. Nunc videamus & *Synonymiam*. Sunt qui Duellum in eos etiam, quos illi nos circumdedimus, terminos extenſum, græcâ voce *μο-*

ce *μο-*

cè μονομαχίαν appellitant. Licet enim Libenthalius *i*) per *Monomachiam* solum tale intelligi velit duellum, quod à duabus tantùm personis suscipitur, quæ quidem vocis hujus propriissima est acceptio *k*), tamen alii probæ monetæ autores *l*) hoc vocabulum illi etiam duello imponunt, qvod pari utrinque numero bini, terni, quaterni, & sic deinceps, ineunt. Quibus de vocabulo quidem litem nos non movebimus.

i) Disp. XVI Colleg. Polit. p. m. 669. k) vid. supra. §. 6. l) Dn. Tabor. Armament. Justin. cap. 2. §. 4. Bodin. lib. 4. de Republ. cap. 7. p. m. 744.

§. 12. Alii, in qvorum classem & magnum reponimus Grotium *m*), *dimicationis singularis* nomine rem nostram, circumloqvuntur; aliis *n*) *certamen singulare* dicitur.

m) lib. 2. de J. B. & P. c. 1. §. 15. n) Camer. hor. subcis. cent. 2. c. 19.

§. 13. Nos *Duelli* vocabulum eligimus. Nec enim causa fuit, cur vel græco nomine permutaremus latinum, vel duabus vocibus uteremur, cùm una satisfaceret instituto.

§. 14. Visis, quæ nomen concernunt, ad ea, quæ rei ipsi conjunctiora sunt, faciamus accessum, auspicaturi à Definitione. JCti *o*) Duellum definiunt *pugnam singularem ad probationem veritatis, ita ut qui vicerit probavisse intelligatur.* Quæ quidem definitio quoniam ad istam monomachiæ speciem, quæ *judicialis p*) vocatur, satis manifestè restringitur, à nostro est proposito aliena.

o) Vid. B. D. And. Rivini disp. de Duello, c. 1. § 9. p) infra § 37.

§. 15. Sicut & altera, quæ *extrajudicialis q*) est duelli, quam Antonius Massa Galesius *r*) Civis Romanus, qui superiori seculo librum contra Duellorum usum in lucem edidit publicam, his verbis proponit: *Duellum est singulare Certamen, quod homines quidam legum contemptores, specie ac nomine conservandi recuperandive honoris & ignominiæ propulsandæ, re autem verâ pecuniarum, aut falsæ gloriæ, seu affectatæ vindictæ, vel æmulationis causa, missis ultrò citròque libellis ad locum & diem certum convenientes, armis à provocato electis, committunt.*

q) de quo infra §. 40. r) citante B. Rivino d. l.

§. 16. Accommodatior definito nostro illa est Boceri *s*). Duellum per *pugnam duarum partium citra belli formam dimicantium* definientis. Tametsi verò duelli ad eam latitudinem, quam nos intendimus, explicati natura non malè sic exprimitur: tamen, si

quem

quem in eâ fortaſſe privativa offendat differentia, liceat nobis de aliâ definitione, quæ culpam iſtam effugiat, cogitare, ſimul operam daturis, ut nullum non cauſæ genus in differentiâ deprehendatur.

s) lib. II. cap. 1. de Jure pugnandi p. m. 121.

§. 17. Eam ergò ita concipimus: *Duellum eſt pugna ſeria à pari utrinque numero perſonis boni alicujus gratiâ ſuſcepta.*

§. 18. Pro genere *pugnam* eligimus cum Bocero & JCtis. Poteramus & *bellum* ſubſtituere. Placuit tamen vox pugnæ, tùm quia vix aliter ea, quàm pro *actione* uſurpatur, cum belli vox etiam ad *ſtatum t*) ſignificandum, qui nihil facit ad rem præſentem, pateat; tùm quia belli vocabulum aliis quoque ambiguitatibus expoſitum eſt, ut quod inter alia ſpeciem notat oppoſitam duello, qvem ſenſum & ſupra *u*) noſtrum fecimus. Igitur circumſpicere oportebat tale vocabulum, quod & bello tali & duello eſſe pro genere poſſet. Tale verò eſt *pugna*.

t) Grotius lib. 1. de Jur. B. c. 1. n. 2. u) §. 7. 8.

§. 19. Obſerves autem, latere hoc in vocabulo ſignificationem *actionis mutuæ*, impugnandi ſcilicet & repugnandi. Nec enim pugnam vocab mus, ubi invadente uno alter non niſi pasſivè ſe habet, ſive quod viribus renitendi deſtituatur, ſive quod imprudentem alter nihilvé mali ſuſpicantem ſubito oppreſſerit, ut Abnerum Joabus *w*)

vv) 2. Sam. 3. v. 27.

§. 20. Differentia Duellum diſtingvit tùm ab haſtiludio ſeu torneamento, tanquam *ſeriam* pugnam à ludicrâ; tùm à bello famosè dicto, cùm *parem* in eo *numerum utrobique* requiramus dimicantium perſonarum. Cætera verba addidimus, ne quod causæ genus in hâc definitione nobis deeſſet.

§. 21. Pro *Efficiente* causâ agnoſcimus *perſonas*, quæ Duello congrediuntur. Ubi nihil intereſt, ſive id faciant publicâ ſive privatâ autoritate, ſive voluntate plenâ, ſive ſemiplenâ, (quale duellum intercedit viatori cum latrone,) ſive ſint homines liberi, ſive ſervi. Nam & Servorum dari duella non imus inficias.

§. 22. Eædem perſonæ duello confligentes *materiæ* quoque vicem ſubeunt. Quoniam enim mutua illarum eſt pugna ſic, ut pugnante uno repugnet alter *x*): uterque, diverſo tamen reſpectu

&

& agentis subjecti, seu efficientis causæ, & patientis, seu materiæ objective personam sustinet.

x) per §. 19.

§. 23. Ad *formam* pertinet, quòd pugnam vocavimus *seriam*. Est autem seria, quæ suscipitur cum animo, si fine, quem duello intendis, potiri aliter non possis, etiam vulnerandi, etiam occidendi. Qui certè animus atque intentio abest ab hastiludiis, & illis corporis viriumq; exercitiis, quæ barbaro quodam vocabulo torneamenta audiunt: quamvis non rarò evenerit, ut non vulnerati, sed occisi etiam homines in hisce torneamentis fuerint: id quod inter alia triste Henrici II. Galliarum Regis exemplum satis comprobat abundè.

§. 24. *Finem* quod concernit, his verbis ille absolvitur, quòd nimirum pugna ea *boni alicujus gratiâ suscipiatur*. Cùm enim specialem assignare non potuerimus finem, in generali ejus designatione nobis fuit subsistendum. Utique tanta finium in duellis est varietas, ut quælibet eorum species peculiarem sibi vendicet. Alia publicum bonum, alia privatum sibi proponit; hæc vitam, illa famam, ista fortunas vel tueri vel augere cogitat; est quæ verum, est etiam, quæ apparens bonum sibi præfigat pro scopo. Ultro intelligitur hoc è sequentibus. Jam enim ad *divisiones* Duellorum accedimus.

§. 25. Eæ variæ à variis proponuntur. Neque parvus est specierum cumulus. Nos ita procedemus. Ante omnia Duellum partiemur in *provisum* & *improvisum*. Quam divisionem amplectens etiam Vischerus Tractatum suum, quem de Jure Duellico contexuit, in duas partes, quarum prior de proviso, posterior de improviso ageret Duello, dispescuit. Non autem, opinor, peccabimus, si proviso Duello nomen *præmeditati*, improviso *extemporanei* imponemus.

§. 26. *Provisum* seu *Præmeditatum* Duellum illud appellamus, in cujus diem horamve certam ab utraque parte liberè consensum est prius, justo præparandi sui interposito spacio.

§. 27. *Improvisum* seu *Extemporaneum*, quod ejusmodi, qualem diximus, consensio nulla præcessit.

§. 28. *Præmeditatum* subdividimus in *publicum* & *privatum*.

Illud

Illud in causâ publicâ; *hoc* in privatâ committitur. *Illud* inter Cives diversarum Rerumpubl. publico se bello impetentium; *hoc* inter ejusdem Reipubl. cives aut socios, privatamque controversiam agitantes, locum habet præcipuum. Utrumque iterum novas in species secandum est nobis.

§. 29. Ac *publicorum* quidem Duellorum aliud *Decretorium* vocabimus, aliud *Prolusorium.*

§. 30. *Decretorium* duellum illud appellamus, quo unus pluresve in pugnam cum hoste numero æquali descendunt, ad dirimendum ex pacto id, quod inter eos gerebatur, bellum, ita, ut, quæ pars duello vincit, ipso bello toto vicisse censeatur.

§. 31. Novas quasi species sortiri hoc duellum potest è digladiantium utrinque *numero.* Interdum enim seliguntur ex utraque acie bini, terni, aut majore numero; quomodo cùm, Tullo Hostilio Rege, Romani Albanique frequentibus præliis utrinque comminuerentur, misso in compendium bello Horatiis Curiatiisque, tergeminis hinc atque inde fratribus utriusque populi fata permissa sunt *y*). Interdum solus aliquis pugnat cum solo: quæ certa est Monomachiæ propriè dictæ species.

y) Flor. lib. 1. c. 3.

§. 32. Posterius hoc ubi placet, jam ipsi Reges aut Capita exercituum mutuis armis confligunt, jam ex universo exercitu certus aliquis excerpitur, qui cum hostilis aciei altero simili decernat.

§. 33. *Prolusorii* quoque duo genera numeramus, *reale* & *augurale.* Usurpat hæc eadem vocabula Vischerus, cui adeò ipsorum inventionem ferimus acceptam: & in augurali quidem cum eo sentimus; in reali verò ab ejus mente nonnihil recedimus, paulò strictiore notatione id usurpantes. Nam ipse sub reali complectitur & illud, quod nobis decretorium est; nos hoc à reali secludimus.

§ 34. Appellamus autem *reale* duellum, quale fuit puerorum Abner & Joab *z*), cùm videlicet hostis cum hoste ex condicto dimicat virtutis demonstrandæ similisvé rei gratia, absque pacto decretorio, absque consensu augurali.

z) 2. Sam. 2. v. 14. 15. 16.

§ 35 *Augurale*, quando duo sive diversi exercitûs milites, sive ejusdem, quorum alter hostis nomen assumit, in pugnam descendit, ut inde omen sumatur de futuro belli eventu.

§. 36. Vidimus publicorum duellorum, quæ simul sunt præmeditata, differentias. Privatorum quoque non eadem est omnium forma. Aliud enim Judiciale est, aliud Extrajudiciale.

§. 37. *Judiciale* Duellum illud, quod autoritate Judicis ab utrâque litigantium parte in causis controversis suscipitur, ita quidem ut ejus causa inferior censeatur, qvi vel succubuerit, vel, ut se victum fateatur, ab adversario fuerit adactus.

§. 38 Appellare autem hujus generis Duellum solemus, quod ante nos & plures fecerunt alii, *judiciale*, non ad *jus* respicientes, sed ad *factum*; non ad id, quod fieri *debet*, sed quod inter majores olim nostros, aliosque populos fieri solebat, qui controversias civium, quas legibus debebant, gladio dirimere jubebant.

§. 39. Sanè verò, si ad jus respicimus, probatur nobis sententia Consultiss. Rachelii *a*) malè hujusmodi duella judicialia dici, *quia* scilicet *judiciorum subsidia, veritatisq; explorandæ aut confirmandæ remedia non sunt, sed omni benè constituto juri prorsus repugnant, & judiciorum ordinem evertunt & pessundant*: siquidem ibi demùm locus armis est, ubi leges atque judicia cessant. Idem celeberrimus Autor *b*) non satis mirari se posse scribit *illorum scriptorum, qui de Duellis scripserunt, rationem, quâ Duella more processûs judiciarii ferè informant, & pessimo facinori hinc colores & nescio quæ pigmenta atque incrustationes quærunt.*

a) Disp. de Duell. §. 33. b) ibid. §. 30.

§. 40. *Extrajudiciale* duellum nobis dicitur illud, quod absque autoritate judicis suscipitur à diffidentibus in causâ privatâ.

§. 41. Etiam hujus variæ sunt formæ: quæ tamen omnes revocari videntur posse ad species duas, ex affectuum primariorum, quibus ad pugnandum incitantur homines, numero. Hi sunt *ira & invidia.*

§. 42. Ex *irâ* proficiscuntur ea Duella, quibus alter alterum provocat, quia sibi videtur ab altero læsus esse per injuriam.

§. 43. Ex *invidiâ* aut *æmulatione*, cùm provocandi causam hanc habet, quòd ipsi dolet, florere alterum famâ fortitudinis aut similium virtutum, tametsi nunquam ab eo læsum se fuisse, fit ipse sibi testis.

§. 44. Atque ad hoc genus etiam referemus eorum duella, quì

qui utrius esse debeat amasia, quam ambiunt, gladio decernendum putant. His enim æmulationem intercedere nemo negaverit.

§. 45 Hactenus præmeditata duella divisimus. *Extemporanea* distinguere minoris erit operæ. Videntur enim hæc in pauciores describi figuras: quæ quidem in eo conveniunt omnes, quòd ex improviso concursu oriuntur; dividuntur autem inprimis ex personarum concurrentium qualitate.

§. 46. Concurrunt enim aut *hostis* cum *hoste*; aut qui antea fuerant *amici* sociive non mali, nunc autem subitâ offensione facti inimici; aut nec hostes ante nec amici, sed penitus *ignoti*, qualis ferè concursus est latronis cum viatore; quanquam & hîc evenire potest, ut alter alterum utcumque notum prius habuerit. Sed libet hoc in tertio genere potissimùm eos reponere, quorum *nocens* alter est ac lædens, ut latro, alter *innocens* ac læsus, ut viator.

§. 47. Hæc ergò Duellorum ferè sunt in universum discrimina: sanè quàm multa; sed verendum nobis tamen est, ne in tantâ, quæ omni se ex parte pandunt, casuum, circumstantiarumvé varietate, sit aliquid prætermissum. Id quod tamen ejusmodi speramus fore, ut ex quâdam saltem affinitate cogi ad ordines nostros possit. Quos quidem libet in quatuor classes describere, ut in *primâ* sit Duellum *publicum*; in *alterâ privatum judiciale*; *in tertiâ extrajudiciale*; in *quartâ extemporaneum.*

§. 48. Atque sic disputationis nostræ subjectum sumus contemplati. Antequam ad æstimandum moralitatis prædicatum descendamus, operæ pretium est, antiquitatem Duellorum & exempla varia atque frequentiam aspicere. Sic enim rem ipsam arbitrari liquidiùs poterimus.

Caput II.
Duellorum antiqvitas, freqventia & exempla varia.

§. I.

Circa Duellorum *antiquitatem* id quæritur maximè: *Bellinè an duelli major sit antiquitas?* Ubi illud quidem facilè concesserimus, etiam ante diluvium utrumque pugnæ

genus increbuisse: utrum autem altero sit vetustius, expediendum videtur distinguendo inter privata duella & publica. Privata verò duella sensu capimus hîc tam laxo, ut extemporanea etiam comprehendantur.

§. 2. Talia verò *privata* fuisse bellis antiquiora, vero est omninò consentaneum, cùm certum sit ex historiâ sacrâ, & domesticas ceterasque societates, quarum distractio duellum ejusmodi privatum est, fuisse civilibus haud paulò antiquiores; & humani generis corruptionem adeò vetustam esse, ut in primo etiam fratrum pari repertus sit homicida.

§. 3. Quæres: *An non ipsum Caini fratricidium haberi debeat pro primo omnium Duello?* Nobis non videtur, cùm cædem istam referamus inter oppressiones subitas, quæ adeò Duella non sunt, ut ne quidem pugnæ vocari queant *b*).

b) per §. 19. Cap. præced.

§. 4. Objicies: Dixisse tamen, ut est in septuagintavirali *c*) Cainem ad Abelem: *Egrediamur foras in agrum.* Quæ verba fuerint provocantis ad dimicandum *d*). Respondeo cum B. Salomone Gesnero *e*): *Quomodo excusabimus Abelem, si provocanti assentitur, & temerè se in periculum conjicit?* Illa ergò vox Caini invitatio fuit ad deambulandum, non provocatio ad certamen singulare. Ut omittam verba ista in fontibus non comparere.

c) Gen. 4. d) ita quidam exponunt ap.: Sal. Gesn. in c. 4. Gen. q. 5. p. 311. Conf. Rivin. Disp. de Duell. c. 1. §. 12. e) d. l.

§. 5. Regeres: Comparere tamen verbum surgendi *f*): *Consurrexit Cain adversùs fratrem suum Abel.* Cujus occasione textûs Rabbini commenti sunt, ab Abele viribus præstantiore primo conflictu fratrem fuisse prostratum, hunc autem posteà surgentem à lapsu receptis viribus evasisse superiorem. Verùm violenta hæc est expositio, referendaque inter fabulas ceteras, quas hâc de re sparserunt isti nugivendi, tradentes inter alia, dentibus Abelem à Caino discerptum fuisse. *Surgere* dicuntur non solummodò prostrati, sed etiam qui in alium irruunt *g*).

f) v. 8. g) vid. Gesn. ibid. p. 312.

§. 6. Tametsi verò duelli privati antiquitas antediluviana per modum exempli non potest evinci è parricidæ primi isto facinore: tamen ex eo, tanquam ex analogo, uti vocat max. Rev. Jo. Adamus Osian-

Osiander *h*) probabiliter eam inferre licebit, cùm simillimum vero sit, si inter illa mundi exordia antequam familiarum esset multitudo, frater oppressit fratrem: multò magis inter non ita sangvine propinquos exoriri potuisse odia atque insidias, antequam exortæ Respublicæ bello etiam facerent locum: omnes autem hujusmodi insidias oppressione subitâ, quæ parti alteri non relinqueret spatium repugnandi, terminatas fuisse, non est probabile.

h) annot. in Grot. de Jur. B. lib. 1. c. 1. Obs. 2. p. 138.

§. 7. De *publico* autem Duello invertenda decisio est. Tale enim posterius esse Bello ipsa videtur ratio docere. *Strage qvippe tot hominum animadversâ, sangvinis profusione in tot mortalibus observatâ, atrocitate damni notatâ, ad compendium descendisse videntur Reges, & duellum substituisse bello*, ut hæc de suo nobis largiatur modò laudatus Præcellentissimus Theologus *i)*.

i) d. l.

§. 8. De antiquitate satis. Nunc frequentiam Duellorum & exempla videamus, non omnium Duelli generum, sed eorum maximè, quæ abierunt in desvetudinem; nec exempla omnia (infiniti enim hoc operis foret,) sed è plurimis pauca: initio à publicis iisque *decretoriis* ducto.

§. 9. De his retulisse Hugonis Grotii *k*) verba sufficiat: Certarunt *olim de Peloponneso Hyllus & Echemus; de Regione ad Inachum Hyperochus & Phemius; de Elide Pyræchma Ætolus & Degmonus Epeus; de Iba Corbis & Orsua. Apud Livium Metius Tullum sic alloqvitur: Ineamus aliquam viam, quâ utri utris imperent sine magnâ clade, sine multo sangvine utriusq; populi, decerni possit. Strabo vetustam hanc fuisse ait Græcorum consvetudinem: & apud Virgilium Æneas æqvum fuisse ait, ut inter se & Turnum eo modo res definiretur. Certè inter ceteros Francorum veterum mores hunc impensè laudat Agathias libro primo.*

k) lib. II. de Jur. B. c. 23. n. 10.

§. 10. Ad *prolusoriorum* illud genus, quod *reale* diximus *l*), referenda sunt plurimorum Græcorum Trojanorumque invicem congredientium duella egregiè descripta variis in locis apud Homerum. l) Cap. præced. §. 34.

§. 11. Hujus quoque generis duello confligebat Claudius Asellus cum Jubellio Taureâ, de quo Livius *m*) videndus, qui hanc di-

micationem satis accuratè delineat. Simile de Duello Titi Manlii Junioris cum Gallo commisso, esto judicium; Qui partim ut virtutem ostenderet suam, patriæque honestatem tueretur, hoc vitæ subibat discrimen. Quæ omnia fusiùs tractat Tit. Livius *n*).

m) lib. XXIII. c. 46. seq. p. m. 258. seqq. n) lib. VII. c. 10. p. m. 541. seqq.

§. 12. Ad hanc etiam speciem Monomachia Davidis cum Goliatho (quæ tamen, qvod observes, alioqui habet non pauca planè singularia) commodissimè revocari poterit. Fuit enim utique Duellum publicum; nec decretorium tamen, nec augurale. Ergò reale.

§. 13. Imò Decretorium, inquiet fortè aliquis, & huic opinioni subsidium quæret è verbis Goliathi *o*): *Si qviverit pugnare mecum* [vir è vobis] *& percusserit me, erimus vobis servi; Si autem ego prævaluero & percussero eum, vos servi eritis, & servietis nobis.*

o) 1. Sam. 17. v. 9.

§ 14. Respondeo: Hæc opinio facilè refelletur ex eo, quia nec in eam Gigantis conditionem consensisse leguntur Hebræi, nec belli finis fuit, occiso Goliatho *p*).

p) vid. ib. v. 51 52.

§. 15. Huic Davidis pugnæ comparari aliquo modo potest Monomachia Rolandi cum Gigante Mahometano, de quâ Joannem Turpinum *q*) audire commemorantem libet: *Cùm Mahometanus Gigas cum Rolando Caroli M. propinquo post pugnam de fide disputasset, inqvit Gigas: Tali pacto tecum iterum pugnabo, quod si vera est hæc fides, qvam asseris, ego victus sim; & si mendax, tu victus sis. Fiat, inqvit Rolandus. Et idcircò bellum ex utroq; corroboratur. Rolandus igitur cœpit implorare auxilium filii Mariæ Virginis, & etiam Deum suum Gigas, dicens: Mahumet, Mahumet, Deus meus succurre mihi. Sed victus occubuit Rolando superstite.*

q) apud Wolff. I. memorab. f. 222.

§. 16. De *Augurali* Duello illud exaudiendum, quod est apud Plutarchum *r*), ubi Alexandri cum Dario bellum describens, memorat ministros Alexandri in duas se partes divisisse, utrique Ducem fuisse, quorum alterum Alexandrum, alterum Darium nominarint; incepisse primùm glebas contrà se jaculari invicem, mox ad pugnos, inde accensâ contentione ad lapides quoque & fustes à multis pertinaciter perventum. Hæc ut audivit Alexander, jussit ipsos Duces singulari prælio decernere, Alexandrumq; ipse,

Darium

Darium Philotas armavit. Duellum exercitus ſpectavit, in omen futuri eam rem trahens. Dimicatum eſt acriter, Alexanderque ille victor duodecim pagos & amictum Perſicum præmii loco accepit.

r) in vita Alex. Camerar. Cent. II. hor. ſucciſ. c. 19.

§. 17. Idem Duelli genus priſcis quoque Germanorum uſitatum olim fuiſſe Taciti hæc verba s) ſatis declarant: *Ejus gentis, cum quâ bellum eſt, captivum quoquo modo interceptum cum electo popularium ſuorum patriis quemq; armis committunt. Victoria hujus vel illius pro præjudicio accipitur.*

s) de morib. Germ. c. 10. n. 7.

§. 18. A publicis duellis progredior ad *privata*. E quibus *judicialia* maximè apud populos ſeptentrioni propiores floruiſſe, paſſim ex Hiſtoriis conſtat. De Danis in hanc rem Saxo Grammat. ut & Pontanus hiſtor. Dan. veniunt legendi.

§. 19. In Britannia quoque perquàm freqventem iſtius uſum viguiſſe, qui de Anglorum rebus Commentarios contexuêre Scriptores teſtantur; quos inter Thomas Smithus t) *Ex uſu patrio*, inquit, *& Angliæ conſvetudine invaluit, ut tribus potiſſimùm modis ſententiæ, quæ ſummum controverſiæ finem imponunt, pronuncientur; in Comitiis Parlamentariis, in certamine ſingulari, & in Juridicis conventibus.*

t) lib. II. de Anglicanâ Republ. c. 6. p. m. 70. ſeqq.

§. 20. Sed præter ceteras gentes Germani noſtri, aſſveta bellis natio, bellicum iſtum controverſias finiendi modum etiam domi habuerunt in pretio. Qui ideò apud Vellejum Paterculum u) mirabantur, cùm Romanæ Jurisdictionis formam conſpicerent, *qvòd injurias juſtitia finiret; qvòd ſolita armis diſcerni jure terminarentur.*

u) lib. II. vid. & Hug. Grot. lib. II. de Jur. B. c. 20. n. 8.

§. 21. Quæ quidem conſvetudo tam altas in gente noſtrâ radices egit, ut ne quidem, cum imbuta eſſet Religione Chriſtianâ, per ſatis multa ſecula potuerit aboleri. Ac refert è Goldaſto Speidelius w) adhuc anno 1450. Judicio Rotvvilenſi jus duellorum fuiſſe approbatum.

vv) Notabil. tit. Kampff-Recht p. 565.

§. 22. Referebatur autem hic duellandi ritus apud eos inter alios veritatem probandi modos, quorum videlicet præcipui erant aqua oleumvé fervens, ferrum candens ac ſingulare certamen. De

quibus

quibus vide sis, quæ elegantia multa congessit Philippus Camerarius *x)*.

x) Cent. II. Hor. subcis. c. 18. p. m. 66. seqq.

§. 23. Illud hîc memorabile, non solum fuisse moris, ut Actor & Reus hujusmodi Duello colliderentur, sed sæpè etiam testes commissos fuisse: id quod ex Lehmanno demonstrantem vide Consultissimum Rachelium y).

y) Disp. de Duell, §. 27.

§ 24. Qui & alterum observat *z*), admiratione magis dignum non solum Facti sed Juris Quæstiones dubias duellis istis fuisse decisas, ut illam sub Othone I. de nepotum orphanorum in avi bona cum patruo successione, de qua & Petr. Greg. Tholozanus *aa*) memorat.

z) d. l. § 28. aa) lib. VII. de Rep. c. 10. §. 13. p. m. 258.

§ 25. De extrajudicialibus Duellis non opus est exempla cumulare, aut antiquorum historias circumspicere. Nimis ea frequentia vel nostra vidit ætas. Quæ eadem tamen per divinam gratiam in regionibus nostris eo undem licentiam severissimis Principum edictis repressam vidit.

§. 26. Sed ne nihil afferamus, producemus in medium de Gallorum talibus duellis querelam viri in omni literarum genere summi Isaaci Casauboni *bb*) dignam omninò, quæ huc transcribatur: *Fuit*, inquit, *& illud veteribus ducibus genus μονομαχίας non incognitum, cujus quotidie exempla eduntur à malè consultà Nobilitate Gallicâ. Rixæ inter Nobiles ex levibus sæpè offensis cientur, offensam condonare & ignoscere, quod sapientes magnanimitatis proprium putarunt, turpe & ignominiosum habetur. Unicum hodiè Nobilitatis sinceræ specimen est, suum jus armis persequi. In hoc cardine vertitur summa illorum existimatio, & is quem falsò honorem vocitant. Qui injuriam parvam magnam sibi factam arbitratur, illius auctorem ad singulare certamen provocat: Concurritur, horæ momento alter ambove mutuis vulneribus pereunt. Certissimum est, nullum seculum ex veteri historiâ nobis cognitum, adeò crebra hujus insaniæ exempla vidisse, atque hoc nostrum planè ferreum.*

bb) animadvers. in Athenæi lib. 4. c. 13. p. 281.

§. 27. Spectant autem hæc ad ea extrajudicialia duella, quæ ab irâ maximè proficisci dicebamus. *cc*) Ad alterum genus, ex æmulatione

latione ortum referendi sunt ii, qui propter nobilium puellarum nuptias *μονομαχῦνται*: sicut apud Gregoram *dd*) quidam amoris fortunam armis permittunt. Ejusdemque rei permulta exempla apud Albertum Krantzium *ee*) Olaum *ff*) & Saxonem *gg*) prostant. Quæ res etiam Amadisio (pestilenti, judicio Lipsii, libro, & nato blandè inficere aut interficere juventutem) fabellarum occasionem præbuisse videtur.

cc) §.42. dd) lib. VII. c.11. citante Berneggero q. 51. in Germ. Tac. cui & ea, quæ hîc seqvuntur, rescribimus. ee) lib. II. Dan. c.4. & 22. ff) lib. IV. c. 5. gg) lib. VI. & VII.

§. 28. Supersunt *Extemporanea* Duella. Sed nec de his necesse est exempla longè repeti: cùm ea memoriam nostram non effugiant, illa cum primis, quæ ex offensâ subitâ sociis duobus, vel cum latrone intercedunt viatori. Siquidem aliis duellorum generibus vel severitate legum sopitis, vel pacis apud nos beneficio abolitis, vel desvetudine extinctis, vix alia hodienum restant, quàm qualia diximus, extemporanea.

CAPUT III.
Moralitas Duelli publici.

§. 1.

A Subjecto Disputationis nostræ progrediamur ad ejus sive adjunctum sive prædicatum, quod *Moralitatem* inscripsimus. Est autem de moralitate duellorum quærere nihil aliud, quàm quærere, sintné licita duella an illicita; justa an injusta?

§. 2. Porrò cùm Moralitas alia *Ethica* sit seu interna, alia *Politica* seu externa: solliciti maximè futuri sumus de moralitate ethicâ. Erit tamen, ubi occasione svadente loquemur etiam aliquid de Moralitate Politicâ.

§. 3. Ethica Duelli moralitas æstimari haud incommodè potest ex iis, quæ de Belli moralitate ethicâ tradere solent Politici. Juvabit tamen hîc inprimis illud admonere, ut duellum aliquod *ethicè justum* pronuncietur, ad hoc maximè requiri, ut & *finis* ejus sit legitimus ac periculo fundendi sangvinis dignus, & duellum ipsum instar habeat *medii* non apti tantùm, sed & suo modo necessarii.

§. 4. Jam

§. 4. Jam cùm non omnium duelli specierum eadem sit moralitatis qualitas, seorsim intuenda erit quælibet. Sequemur autem in his capitibus quatuor illas classes, in quas suprà *a)* partiti sumus omnem earum varietatem.

a) Cap. I. §. 47.

§. 5. Præcedat *publicum* & inter publica *decretorium*: quod videlicet suscipitur belli sic finiendi causâ, ut quæ pars duello vicit, jus bellici victoris quæsivisse existimetur. Est autem jus bellici victoris, victo leges præscribere.

§. 6. Hujus duelli moralitatem determinare promptam rem diceremus, si de jure gentium externo foret qvæstio: hoc enim jure tale duellum minimè prohiberi, planum habetur. Verum lis est de internâ justitiâ: ubi fatendum, intricatissimam esse, atque inter auctores, qui quidem hâc de re scripserunt, adeò disceptatam controversiam, ut magnus etiam Grotius *b)* pro valdè agitatâ ipsam agnoverit. Præstabat ergò fortasse judicium hîc suspendere. Veruntamen tentandum est aliquid.

b) lib. III. de Jur. B. c. 20. n. 43.

§. 7. Ante omnia hoc ponimus, à Monomachiâ Davidis cum Goliatho non satis commodum atq; efficax duci argumentum posse, quod à quibusdam tentatur, pro Duelli Decretorii justitia. Fuit enim ea Monomachia non decretoria sed prolusoria *c)*.

c) per Cap. II. §. 11. seqq.

§. 8. Ex adverso nec magnoperè placet, similem ob causam, pro injustitiâ talis Duelli illud argumentum Grotii *d)*: *Condicto certamine uti tanquam testimonio bonæ causæ, aut judicii divini instrumento, vanum est, & à verâ pietate alienum.* Valebit hoc quidem adversus judiciale duellum, ut patebit infrà *e)*: Sed cum eo decretorium hoc nostrum confundi neutiquam debet.

d) loco §. 6. citato e) Cap. seq.

§. 9. Aliis armis negotium hoc expediendum est. Ac pro svadendâ quidem duelli decretorii justitiâ ratio militare hæc præcipua videtur, quod hâc ratione parsimonia fiat multi sangvinis humani, mittanturque in compendium calamitates belli.

§. 10. Vicissim pro contrariâ sententia illud urgeas maximè, quod æternum Reipubl. literariæ Decus Jo. Heinr. Boeclerus *f)* affert: *Quis non videt satius esse vel multorum interitu & calamitati-*

bus

bus redimi libertatem civitatis, qvæ talibus duellis, simul & semel perdi potest: cum ex diverso, post plures etiam clades reparari fortuna qveat?

f) p. 129. Disquisit. de Domin. eminent. ad Grot. lib. I. c. 1.

§. 11. Quid si distinctione conemur difficilem modum solvere? ut certo videlicet casu ejusmodi duella decretoria probanda sint, secus improbanda. Pone enim, evenisse, quod de Romanorum cum Albanis bello narrat Florus *g*), ut frequentibus utrinque præliis sint populi comminuti; pone conditiones æquas parte injustâ penitus recusante, nihil aliud restare justæ, nisi ut aut victrix det leges, aut victa accipiat; pone ultimum restare prælium, in quo moraliter, certum esse videatur extremam belli totius aleam sitam fore, ita quidem, ut ex eâ populus alter sit victor discessurus, alter absque spe colligendi sui victus: breviter pone, ut Magnifici Dn. Ziegleri *h*), in eandem hîc nobiscum sententiam proni, Verbis utamur: *Non aliter rem componi inter litigantes posse quàm aut certissimâ multorum hominum strage, aut per monomachiam bellicam, sive singulare duorum pluriumvé certamen.* Quis hîc non dicat: multorum Civium stragem unius aut paucorum esse cæde redimendã, adeoq; non peccare partem justam (nam injustæ non patrocinamur) si duellum decretorium aut accipiat oblatum, aut ultrò etiam offerat?

g) respice ad Cap. I. §. 31. h) Not. in Grot. lib. III. c. 20. §. 43. p. 598.

§. 12. Rursum extra hunc casum, quando videlicet spes est, recuperari alio prælio posse, quod uno fortè sis amissurus, aut post plura etiam dubio Marte, & ut fit, alternante, committenda prælia, pacem cum hoste non ut cum victore, sed ut cum belli pertæso iniri posse; extra superiorem, inquam, similemvé casum, valebit omninò, quod paulò ante *i*) significabam, maximi rem momenti non esse simul & semel perdendam, quam lubricæ & repentinæ sorti committere nulla nos adigat necessitas. Sic & periti Duces non solent cuivis prælio summam belli concredere.

i) §. 10.

§. 13. Venio ad *prolusoria* Duella. Horum genus alterum erat illud, quod reale vocabamus *k*); cujusque clarum imprimis exemplum est in duello puerorum Abner & Joab, ut operæ sit omninò pretium, totius hujus certaminis historiam è sacro textu *l*) huc transcribere. Saule mortuo unctus erat David in Regem, ab ipso videli-

cet DEO destinatus imperio. Nihilominus Abner filium Saulis Isbosen conabatur patrii regni successorem constituere. Oritur bellum. Cùm armatæ acies hinc atque inde constitissent, paratæ in prælium, quod & post paulò commissum fuit, *dixit Abner ad Joab* (præerat hîc exercitui Davidis): *Surgant pueri & ludant coram nobis. Et respondit Joab: Surgant. Surrexerunt ergò & transierunt numero duodecim de Benjamin ex parte Isboseth, filii Saul, & duodecim de pueris David. Apprehensoq; unusquisq; capite comparis sui defixit gladium in latus contrarii, & ceciderunt simul, vocatumq; est nomen loci illius, ager robustorum in Gabaon.*

k) Cap I. §. 34. l) 2. Sam. 2. inprimis v. 14. 15. 16.

§. 14. Prolusorium hoc duellum fuisse satis est manifestum. Reale an augurale fuit, dubitare videtur Delrio, vel hæc duo potius confundere. Locum ejus integrum adscribemus *m*): *Non liceret illis* (Principibus) *animi causâ, vel gloriæ solius ad ostendendum robur militum facere* (duellum jubere), *sicut olim fecerunt Joab & Abner. Nam vox* ludere *illic significat prolusionem pugnæ. Instituebatur enim hoc, ut arbitror, qvasi divinatorium qvoddam victoriæ præjudicium, quo Germanos olim uti solitos Cornel. Tacitus testatur. Quæ ipsa divinatio est probibita. Et sicut pro solâ gloriâ humanâ bellum non licet suscipere, sic nec duellum licet permittere.*

m) lib. IV. Disq. Mag. c. 4. q. 4 sect. 2. p. 616.

§. 15. Verùm hîc meritò præferimus glossam Lucæ Osiandri *n*) duellum hoc neutiquam confundentis cum divinatorio seu augurali, sed verba: *Surgant pueri & ludant coram nobis*, ita περιφράζοντος & explicantis, ut nostra confirmetur sententia: *id est, age mitte ex tuis aliquot milites, qui armatâ manu cum totidem ex meis congrediantur, ut appareat, uter habeat fortiores milites.* (*Militaribus enim ingeniis voluptati est videre mutuas lanienas. Sed crudelia spectacula (spectacula dico) sunt Deo abominabilia. Et hostes populi Dei solent adversam partem ad arma capienda provocare, magno plerumq; tandem suo malo.*)

n) in Bibliis ad eum locum, Part. I. f. 425.

§. 16. De hoc igitur duello, si justum illud, injustumné fuerit, quæratur, quid censebimus? Voetius hîc non categoricè responderet, sed hypotheticè; damnaret, si *voluptatis* causâ initum fuisse constet; sin *honestatis*, absolveret. Distinguit enim ille *o*) inter duella ab hostibus oblata *voluptatis* causa, eaque reprobat, & *honestatis*

gratiâ

gratiâ, ad conſervandã bonam in exercitu hoſtili famam, quæ duella omninò admittit & ſvadet: ſiquidem fama bona fortitudinis plus ſæpè hoſti incutiat timoris, quàm res ipſa aut ratio.

o) tract. de duell. c. XI. p. 79. cit. Jo. Ott. Tab. armam. Juſtin. de legit. arm uſu. c. 2. n. 4. p. 169.

§. 17. Aliter hîc diſtingueret Oſiander, decidendiq́ nervos non in finium quæreret, ſed cauſarum & ſubjectorum diverſitate, partem in causâ *malâ provocantem* damnaturus, in causâ *bonâ provocatam* abſoluturus. Augurari hoc licet ex his ejus verbis *p*): *Militum David, qui legitimum bellum gerebant, & provocati non poterant ſine pudore & periculo pedem referre, mors fortiter perpeſſa laude digna eſt. Abneri verò militum caſus peſſimus fuit, defendebant enim malam cauſam.*

p) loco antè citato.

§. 18. Nos diſtinctiones ipſas laudamus, an verò in re præſenti locus iis ſit, dubitamus. Sive voluptatis, ſive gloriæ, ſive ſimul utriusque finis gratiâ ſuſceptum illud duellum fuit, utrinque improbamus, non obſtante, quod pars altera & provocata fuit, & bonæ cauſæ patrocinium ſuſceperat. Movent nos cauſæ à Brentio & Froſchovero allatæ, à Jo. Ott. Tabore *q*) repetitæ & approbatæ. Quorum ille *r*): *Eventus*, inquit, *docuit, DEUM hujusmodi cruenta ſpectacula omninò abominari*: Hic *s*): *Non ſic ludendum eſt ſangvine hominum, non ſic fortitudo virilis, donum Dei, proſtituenda eſt temerè.*

q) loco, quem ſuprà §. 16. citavimus. r) ad 2. Sam. 2. n. 14. s) ad eundem locum.

§. 19. Quod de eventu dicit Brentius, facilè intelligitur ex hiſtoriâ. Equidem Joabi milites ab eâ erant parte ſelecti, quæ juſtisſimam, ipſique Deo placentem cauſam defendebat. Poterat ergò facillimè DEUS, ſicuti prælium Joabi, quod ſtatim à finito iſto duello commiſſum eſt, fugato Abnere ſecundavit *ſſ*), ita ſimiliter duellum illud, ſi hæc pugnandi ratio probata ſibi fuiſſet, fortunare. Sed eventus hic fuit, ut admirabili atque raro exemplo ſinguli à ſingulis per mutuas cædes trucidarentur: ut palam fieret, diſplicere Deo non minus provocatos, quàm provocantes, vel hanc ſolam ob cauſam, quòd voluptatis aut inanis glorię ergò ſuſcepta ſingularis illa pugna fuiſſet.

ſſ) 2. Sam. 2. v. 17.

§. 20. Objiciet aliquis fortaſſe proſperiorem fortunam, & haud

dubiè peculiari divini Numinis interventu reportatam victoriam, in Monomachia Davidis cum Goliatho, quam nos ipsi ad hanc Duelli formam revocavimus *s*). Cui enim summi Herois cum immanissimo Philistæorum Gigante concertatio non est cognitissima? Tantum verò certè abest, ut hæc dimicatio Deo displicuerit, ut potius instigante ac vires subministrante S. Spiritu fuerit à Davide commissa. Quid arguunt tantâ cum devotione fusæ preces ac suspiria? quid tanta in viribus certè perquàm exiguis confidentia? quid tantus armorum, quæ ipsi ab rege regniqùe proceribus porrigebantur, neglectus? Hæc profectò ad unum ostendunt, fortissimum hunc juvenem, non propriis viribus, sed aliunde suppeditatâ longè efficacissimâ virtute, hanc ipsam pugnam & iniisse, & initam ad finem perduxisse felicissimum. Cùm igitur Deus hoc factum non permiserit solùm, sed & vires ac fiduciam subministrando promoverit, quis de istius ambigat justitia?

s) Cap. præced. §. 12.

§. 21. Confitemur ergò hujus Monomachiæ justitiam; ab hâc valere conseqventiam ad alia prolusoria, vel qvævis duella, negamus, qui jam suprà *t*), esse in ea haud pauca planè singularia, fuerimus testati. Quale illud inprimis, quod in eâ non ludicri spectaculi, non humanæ sed divinæ gloriæ res agebatur. Digna quæ adscribantur hâc de re sunt verba magni quondam inter Theologos luminis B. Dannhaueri *u*), qui *Davidis factum non referri debere ad imitationem*, ait, *sed ad admirationem, esse factum heroicum ex Spiritus S. impulsu, quo spiritu non ducuntur, qui duella vel imperant, vel suscipiunt. Si David alio Spiritu ductus fuisset, & humanâ confidentiâ, non potuisset à temeritate excusari: nec factum debuisset approbari ex eo, qvod autoritate publicâ in bonum commune illud suscipiebat tanqvam bellum partiale &c.* Cui subscribit Dn. Tabor *w*), dum inquit: *Certum est multa singularia in illo negotio seu dimicatione Davidis cum Goliatho intervenisse, quæ ideo non omnem monomachiam & dimicationem bellicam à crimine absolvant*: & paulò pòst: *Hujusmodi vocatione divinâ qui fuerit instructus, sanè tutò cum qvovis Goliatho congredietur: Non æqvè is, qui à temerario fortè duce, ludicri, ut sæpè, certaminis causâ mittitur.* Quibus jungas, quæ ex Brentio ibidem profert. Videatur præterea Meisnerus *x*), præprimis autem peregregiè de hâc ipsa re disserens B. Balduinus *y*).

t) loco

t) loco cit. u) Collegio Decal. p. m. 700. vv) Armamentar. Justin. cap. 2. §. 4. p. m. 169. seq. x) lib. 4. de legib. Polit. sect. 1. qv. 21. p. 383. y) lib. 4. de Casib. Conscient. cap. 1. cas. 12. p. 884.

§. 22. Nullum ergò, inquies, exemplum erit liciti ex isto genere Duelli, nisi solum illud Davidis? Putes licitum fuisse & istud Rolandi cum Gigante Mahometano, quod retulimus suprà *z*): videatur enim hoc in iis, quæ ad moralitatem spectant, cum Davidicâ monomachiâ suo modo conferri posse. Ne tamen præcipitemus sententiam, malumus hac de re Theologorum audire judicia.

z) Cap. præced. §. 25.

§. 23. Restat in duellis publicis genus *augurale*. Ab hoc breviter nos expediemus, cùm nemo sit, quod sciam, Christianorum, qui illud probet. Habet enim manifestam superstitionem, quam legibus Divinis prohibitam esse certum est.

Caput IV.
Moralitas Duelli Judicialis.

§. I.

SEquitur, ut de *privato* agamus *Duello*, quod cùm duplex fecerimus *a*), Judiciale & extrajudiciale, hoc caput occupabimus in *Judiciali*, per quod olim controversiæ Civium forenses gladio litigantium dirimebantur.

a) Cap. I. §. 36.

§. 2. De hoc toto Judicialis Duelli genere rectè pronunciabimus, nec justè illud à magistratibus imperari, nec sine peccato à subditis suscipi posse.

§. 3. Quanquam enim finis, detectio nimirum causæ obscuræ, & investigatio partis nocentis innocentisvé, ut administrari justitia queat, non est malus: cruentum tamen hoc atque horrendum medium neque [1.] necessarium est, neque (2) huic fini satis aptum, imò (3) rectæ rationi planè repugnans. Videamus singula.

§. 4. *Primò*, non necessarium hoc esse medium inde ostenditur, quia sunt alia in promptu. De quibus audire libet egregiè differentem Balduinum *b*): *Legitima media inqvirendi veritatem in re dubiâ monstrantur in Scripturâ (1) testimonia duorum vel trium*, Deut. 19. v. 15. (2.) *Tabulæ seu chirographa*, ut Jerem. 32. v. 10. *cùm Jeremias*

emisset agrum in Hierusalem, conscriptæ sunt & obsignatæ tabulæ; & cùm Tobias à Gabele petiturus esset debitum, ostendit ejus Chirographum. (3) *Publica confessio, sicuti Josua jussit Achanum fateri publicè delictum, gloriamq́; dare Deo*, Jos. 7. v. 20. (4) *Juramentum, qvod Apostolus finem controversiarum omnium nominat*, Hebr. 6. v. 16.

b) lib. IV. cas. consc. c. 1. cas. 12. p. 885.

§. 4. Excipies: fieri non rarò solere, ut è quatuor his probandi mediis priora tria desint: (1.) testimonia, si res gesta sit in occulto absque arbitris; (2.) tabulæ, si vel nunquam eæ conceptæ fuerint, vel deperditæ; (3.) confessio publica propria: paucissimis enim delinquentibus libet Achanum imitari: & verò valuisse duellum inprimis atque adhibitum fuisse in casibus ejusmodi, in quibus qvalia diximus argumenta reum convincendi deficerent.

§. 5. Respondeo, sufficit, si quartum adest probandi medium, jus nempè jurandum; cui quintum etiam junxêre leges civiles, tormenta, omissum à Balduino, quòd illi propositum esset, ea sola proferre media, quæ sacris in scripturis ostenderentur.

§. 6. Regeres, si maximè his in casibus monomachia non sit probandi medium unicum atque necessarium, esse tamen & juramento & tormento longè aptius: etenim in jurantis aut eculeo subjecti potestate situm æquè esse, fateri crimen ac diffiteri; in duellis non humani rem arbitrii esse, sed sortis divinæ, cui merito primæ deferri partes debeant: vix enim credibile esse, Deum, ut iste, qui causæ reprobæ patronus sit, victor, qui verò justam tuetur sententiam, victus constituatur, esse permissurum.

§. 7. Sic ergò ad *secundum* pervenimus, in quo de aptitudine quærebatur. Manemus autem in sententiâ, statuimusque duellum non modò non esse aptius instrumentum aliis, sed etiam prorsus ineptum.

§. 8. *Aptius* certè jurejurando & eculeo non est. Nam ut hîc sæpè non proditur reus, si pejerare, si vel exquisitissimos cruciatus morti anteferre didicerit: ita duello compertum est alicubi insontem occubuisse. *Spoleti fratres quidam furti crimine accusati fuerunt. Cogebantur ii duellum inire, in quo aliis suis peccatis præpedientibus ceciderunt: propter quod per consules Spoletanos bonis fuerunt spoliati. Sed his ipsis ablata restituere universa injunctum est, posteaquam*

qvàm furtum apud alios fuiſſet inventum, & qvod ipſi fuerint hîc innocentes, Domino faciente eſſet revelatum c). Illuſtrius eſt & magis in hanc rem facere videtur exemplum à Dn. Dannhauero *d)* relatum, cùm de Judicialibus duellis talem profert ſententiam: *non tutum eſſe, hujusmodi purgationi cruentæ confidere, cùm in decretalibus de purgat. Vulg. cap. ſignificantibus, talis caſus deſcribatur, duos inter ſe duello pugnaſſe, qui ſe mutuò furti accuſabant, furtum eſſe inventum apud eum, qui vicit.*

c) Rivin. diſp. de duell. c. 2. §. 5. d) Colleg. Decalog. diſp. 12. §. 17. p. 702.

§. 9. Quid? quod evenit aliquando, ut exitus duelli judicem planè ducat in labyrinthum; Exemplum ſuggerit pugna duorum Hiſpanorum Nobilium tempore Alfonſi Regis, qui Petri Regis Caſtellæ fuit Pater. *Hi fuêre Ruy Paez de Viedma, & Pay Rodrigvez de Avila. Ille hunc proditionis accuſavit: hic illum ſceleris gravioris vicisſim recriminatione pulſavit. Cùm ventum eſſet ad duellum, tribus continuis diebus, ab ortu ſolis ad occaſum pugnarunt, multisq; ſe vulneribus affecerunt: & dubiâ prorſus nec in unum alterumvé inclinante victoriâ utrumque Rex innocentem pronunciavit, & æqvali virtute præditos amicos eſſe voluit e).* Si uterque criminis, quo eum accuſavit alter, innocens fuit, uterque tamen certè fuit Calumniator. Debuerat ergò, ſi non fallax hæc foret probatio, poſtquam prima dies utrumque ab intentato ſcelere abſolviſſet, dies altera vel tertia calumniæ crimen utriusque morte prodere. Si verò altero innocente nocens fuit alter, cur utrique triduana monomachia pepercit?

e) Delr. libr. IV. diſp. Mag. c. 4. q. 4. ſect. 2 p. 614.

§. 10. Quod dicebam, etiam prorſus ineptum eſſe probandi genus per duellum, ita probo: Si enim quicquam habebit aptitudinis, habebit illud ex influxu aut naturali aut ſupernaturali. Sed horum neutrum oſtendi hîc poteſt.

§. 11. *Naturalis* influxus eſt omninò hic aliquis in juramento & fidiculis, quibus ideò rectè locus eſt in judiciis factus. Eſt enim hoc humanæ naturæ conſentaneum, ut veri confesſionem etiam invitis exprimat vel metus periculoſisſimi, ſi pejeraveris, flagitii, vel præſentis cruciamenti dolor. Natura verò gladio mutuo nullam vim dedit eruendi veri, niſi fortè putamus, ut ſilicum concusſione ignem, ita enſium colliſione naturaliter lucem veritatis exſplendeſcere.

§.12. Inquies: ut animus malè sibi conscius detrectatione jurisjurandi, aut declinatione tormenti se prodit: sic eundem trepidatione quâdam nocentem naturaliter implere, ex quo illud videlicet consequatur, ut idem quoque pugnando succumbat.

§. 13. Verum (ut alia præteream) hæc certè ratio non movit eas gentes, quæ duellis inter judicia locum fecerunt: aliàs non permisissent, ut in duello substituere alterum liceret, nisi censeamus hoc in casu easdem credidisse, conscientiam substituentis simul cum causâ emigrare in cor substituti. Et verò potiùs ostendi valet illud, quod arbitrati fuerint, (regnante videlicet illis in seculis superstitione) divinam quandam vim, non humanas ac naturales rationes, hîc intercedere: planè ut in similibus probandi modis, oleo fervente & ferro candente, de quibus suprà *f)*.

f) Cap. II. §. 22.

§. 14. Excutiamus ergò nunc influxum *supernaturalem* atque divinum. Posse Deum, si velit, quotiescunque causa dubia duello permittitur, pro veritate litem decidere, nemo dubitat. Sed unde probabitur id, quod hîc necesse est addi, etiam velle? Nullus profectò apex, nullum verbum, ex sacro codice poterit proferri, ubi hunc innocentiam probandi modum, Deus, non dicam præceperit, approbaverit saltem, vel innocentiam se hoc modo promiserit sublevaturum. In veteri Testamento habetur expressa lex *g)* de probandâ per aquam, si qua suspicione adulterii laboraret, fœminâ. Unde similem proferent patroni duellorum?

g) Num. 5. v. 12. seqq.

§. 15. Inquient fortasse: Quod lege doceri non potest, exemplis posse: talibus puta, quibus præsentiam suam voluntatemque clarissimo miraculo testatus sit DEUS: quale suggerit Martinus Delrio *h)*, quanquam ille neutiquam hoc genus duelli defendit. Repetamus nos ex eo, & mittamus in compendium. *Anno 1326. Judæus quidam malè sincero animo sacris Christianis initiatus, in æde Monasterii Cambronensis imagini Deiparæ qvatuor plagas inflixerat, unde sangvinis statim rivi manârunt. Delatus tormenta pertinaciter cum elusisset, dimissus est. Triennio pòst seni cuidam, Johanni Flandro, quem septennio jam ex paralysi clinicum bis Angelus apparens, frustra monuerat, virgo illa quatuor illis plagis consauciata se videndam præbet, Judæum accusare & duello provocare jubet. Dies pugnæ dicitur. Judæus senem*

us senem ridet. Sed juvante athletam suum Deo æger sanum, debilis fortem, senex juvenem prostravit.

h) IV. Disq. mag. 4. q. 4. sect. 2. p. 613.

§. 16. Respondeo (1.) dubitari meritò potest, verum hoc miraculum fuerit an commentitium; (2.) si verum, an Deum an Dæmonem autorem habuerit; (3.) Fac verum, fac divinum fuisse, nihil obtinetur in causâ principali, ubi de *ordinariâ* quæritur Dei voluntate, quam non nisi *extraordinariam* declarant miracula nullâ divinâ institutione fulta.

§. 17. Atque ex hoc jam gradus fiet ad *tertium*, quo dicebamus *i*) Duellum judiciale rectæ rationi repugnare. Cum enim hæc probandi ratio nec naturalem habeat causam, nec ullâ fulciatur lege, aut promissione divinâ: uti eâ velle nihil est aliud, quàm tentare Deum, & vitam innocentis periculo mortis exponere sine urgente causâ. i) §. 3.

§. 18. Cui rectè addetur illud, quod jam è cap. I. *k*) potuit intelligi, adeo abhorrere à judiciorum naturâ duellum, ut ubi legitimis judiciis, quæ ratione & legibus agunt, locus est, ibi necesse sit vim atque ferrum exulare; quibus janua tum demum aperitur, ubi aut nulla sunt, aut penitus contemta judicia. Itaque rectè Jus & ferrum opposuit Poëta vetus *l*) in isto:

Non ex jure manu consertum, sed magè ferro
Rem repetunt.

k) §. 39. l) ap. Cic. VII. epist. fam. 13.

§. 19. Dices fortè: esto, non posse à Magistratu ut à *judice* duellum juberi, posse tamen, vi supremæ in vitam subditorum potestatis, ut ab *imperante*.

§. 20. Respondeo: Suprema illa vitæ necisque potestas non infinita est & vaga licentia, sed jus certis limitibus definitum, quodque exerceri vix alibi rectè potest, quàm ubi vel supplicium est à convicto capitalis flagitii exigendum, vel pro salute Patriæ mandanda civibus, si casus ita ferat, vitæ profusio. Neutrum accommodari ad quæstionem præsentem potest. Præclarè suprà laudatus Boeclerus *m*): *In vitam civium quod sit jus civitatis seu summæ potestatis, non vagè declarandum est. Esse igitur civitatem dominam vitæ necisq; civium, ut veteres loqvuntur, ex vi jurisdictionis sive potestatis judiciorum, controversiâ caret. Atque hoc jus nititur merito & obligatione*

ad pœnam, neque aliter animo concipi poteſt. Alteram jure belli contineri dixeris, qvo ut civis vitam ſuam debere civitati propugnandæ, ita civitas vitâ civium multorum uti poſſe ad ſervandum totum corpus videtur. m) Diſſert. de Dom. Emin. p. 98. ad Grot. lib. I. c. 1.

§. 21. Perges: concedi poſſe, peccari à Magiſtratu, ſi, quæ legibus & poterat decidi controverſia & debebat, eam ipſe jubeat armis finire: ſupereſſe tamen quæſtionem de ſubditis, an & illi hoc in caſu peccent, ſi faciant imperata? Putamus omninò peccare: non eſt enim obtemperandum injuſta imperantibus.

§. 22. Dices: videri eo caſu judicem apertè cognitionem rejeciſſe; adeoque è ſententia Grotii *n*) belli privati licentiam atque jus rediiſſe.

n) lib. I. de J. B. c. 3. §. 2.

§. 23. Reſpondeo (1.) imò verò *non rejecit* cognitionem judex, ſed cognoſcendi mutavit menſuram, pro verâ ac legitimâ falſum asſumens ac ſpuriam. (2.) Fac rejeciſſe, *non apertè* rejecit, ſed tacitè quaſiq; aliud agendo. (3.) Fac apertè rejeciſſe, quæro in quem rejecerit? Nihil hîc poterit, ſi dictorum *o*) ſumus memores, verius reſponderi, quàm ipſum cauſæ cognitionem rejeciſſe in Deum. Atqui Deus, dum ſe tentari, dum ſuperſtitioni cuicunque indulgeri vetuit, ſimul hoc duellum vetuit.

o) §. 12 ſub fin.

§. 24. Inſtabis, adhuc eſſe viam Exceptioni, ſaltem pro eâ parte, quæ eſt innocens, & in certo caſu. Pone enim eſſe judicem, qui capitis accuſatum innocentem, nullâ ratione convictum, ex eâ ſolâ causâ ſuſpectum, quia duellum detrectet, capite plectere ſtatuat, niſi duellum in purgationem acceptet. Huic ſanè licebit duello ſe committere, non quidem in teſtimonium innocentiæ, ſed in juſtam propriæ vitæ defenſionem. Atque ſic ſentit Petrus à S. Joſepho *p*).

p) Summulâ caſ. conſc. de V. præcept. artic. 4. p. m. 213.

§. 25. Reſpondeo: Scio placere hoc autori dicto; ſcio aſſenſum ipſi præbere moralium Doctores Pontificii gregis complures, ut Gregorium de Valentia *q*), Trullench *r*), quem autorem inter eruditiſſimos etiàm viros valdè δυσεύρετον, cõmodavit mihi ſummus Theologorum Magnificus Dn. Jo. Adamus Schertzerus, cui eo nomine publicas ago gratias, Gregorium Sayr. *s*) Ludov. Molin. *t*) & alios his auctoribus citatos: ſed orthodoxum, qui idem ſentiat, adhuc inquiro. Cu-

ro. Cujus nisi accedat suffragium, liceat mihi hîc etiam dubitare, aut, si sententiam dicere jubear, discedere in partem contrariam; quæ & ipsa fautores habet inter Moralistas Pontificios *u*).

q) Disp. 3. in secund. Thom. qvæst. 17. junct. 1. p. m. 735. seq. r) lib. 5. c. 2. dub. 13. p. 29. s) Clav. Reg. lib. 7. c. 13. p. 467. t) de J. & J. Tom. 4. tract. 3. disp. 17 p. 581. seq. u) vid. Trullench. & Sayr. d. l.

§. 26. Neque rationibus destituor. Esto, talis innocens non aliam ob causam recusaverit monomachiam, quàm quia habet eam pro medio superstitioso. Esto, ab amicis eam illi svaderi, quòd hoc in casu non ministrum se præbeat superstitionis alienæ, sed vitæ suæ defensorem. Etiam hoc ponam, ipsum huic amicorum rationi assentiri jam intra conscientiam. Hanc nihilominus errantem esse dicam. Nam si maximè aberit ipsi sic intentio tentandi Dei de testimonio innocentiæ, non aberit scandalum publicum præsertim cùm illa dimicatio ipsi imperata fuerit, non tanquam tutela inculpata, sed tanquam probandi medium. Omninò autem tutius videtur, mortem etiam injustam pati, quàm cooperando participem se reddere culpæ alienæ. Ad hæc si exceptionem hanc admittimus, ut licitum sit duellum, ne sine duello moriaris, erit & qui ex eâdem causâ licitum pronunciabit, si opes in discrimen veniant.

§. 27. Concludemus ergò interim, judicialia duella nullo esse casu approbanda. Neque nobis his magis, quàm Dn. Tabori *w*) placet illud Vischeri *x*), ut ipse vocat, granum salis (libram veneni rectius dixisset,) inspersum, cùm censet hoc genus duelli defendi posse, si fiat (1.) inter personas illustres, nobiles & militares, (2.) in causa obscurâ & capitali, (3.) jure belli, (4.) autoritate principis, (5.) ad majus Reip. malum evitandum.

vv) Armam. Justin. c. 2. de legit. arm. us. n. 4. p. 169. x) de jure duellico p. 47.

§. 28. Præiverat illi hanc exceptionem Bodinus, cujus & ipse quædam verba repetit *y*). Nos locum Galli scriptoris integrum adscribemus: *Incidunt*, inquit *z*), *sæpè causæ, in quibus tantæ sunt difficultates, tanta latet obscuritas, ut nullius arte aut prudentiâ explicari possint; ut si cui contumelia occultè illata fuerit, qvam qui intulit, inficiatur, nec ullis argumentis præterquam, iis quæ in conjecturâ versantur, quid veri sit, appareat. Inter plebejos quidem expedita res erit judici, qvippe qui nisi perspicuis testimoniis damnare debeat neminem. Sed ii, qui arma tractant, qui de generis nobilitate gloriantur, putant,*

putant dignitatem violari suam, nî satisfiat ei, qui juratus injuriam se accepisse affirmat; vitam quidem ac fortunas subditorum in arbitrio ac potestate tyrannorum (satis cruda hæc Bodiniana sunt), *esse confitentur dignitatem negant.* Et postea: *Et quidem præstat Nobilium controversias certamine legitimo ac more Majorum (qui monomachiam in perspicuâ minimeq; dubiâ causâ non admiserunt) dirimere, quàm civilibus armis concurrere, si personæ illustres tot ac tantis odiis exarserint, ut placari nullo modo possint. Duobus enim propositis incommodis majus declinandum esse sapientes rectissimè præcipiunt. Mores ante inveteratos ac multis seculis probatos non modò difficile, sed etiam periculosum est convellere conari.*

y) p. 66. z) lib. IV. de Rep. c. 7. p. m. 742.

§. 29. Sed omitto Bodinum. In Vischero autem non anxiè scrutabor illud, an non ipse, ut extrajudiciali Nobilium personarum duello, quo non testimonium innocentiæ, sed bellicæ fortitudinis specimen quæritur, non intentati criminis, sed ignominiæ labes fugitur, commodiorem præstare advocationem queat, cum judiciali illud in eandem pultem quadantenus confundat. In ipsam causæ arcem conscendamus.

§. 30. Personas illustres atque nobiles excipit Vischerus. Sanè & nos fatemur interesse Reip. discrimina conservari personarum. Unde & olim cùm adhuc vigerent inter personas liberas judicialia duella, rusticis tamen ea prohibita fuêre, quibus licebat innocentiam suam aquâ fervidâ vel candente ferrô patefacere *aa*). Cur ergò non & hodiè ad candentis ferri probationem ablegamus plebejos? Nempè quia res plena est superstitione. Valeat ergò & hæc ratio contra Nobilium Judiciale duellum, quorum dignitati rationibus aliis consuli potest.

aa) vid. Visch. ipsum p. 32. è Goldasto.

§. 31. Valeat autem sine exceptione *obscuræ causæ* & capitalis, à quibus momentis Vischerus opinioni suæ pondus expectabat. Duella enim nec obscuræ causæ lumen inferunt, nec in capitali nocentem ab insonte infallibiliter distinguunt.

§. 32. *Jus belli*, quod hîc adspergit Vischerus, nullum est inter cives, non aliâ quàm forensi contentione distractos. Tùm enim demum bello est locus, cùm cessant judicia.

§. 33. *Nec autoritas Principis* sublevare lapsum hujus causæ potest,

test, nisi doceatur prius, principem, sive jubentem sive permittentem aut moderantem ejusmodi duella, versari in re licitâ.

§. 34. Quod ultimo loco *de Reip. majore malo evitando* additur, ad factiones pertinet ac civilia bella, quorum timorem & Bodinus, ut Gallos excuset suos, exaggerat. Verùm hîc tenendum illud, nullum esse malum gravius malô culpæ; nec esse timenda alia mala, si magistratus pius rem agat seriò, ceteraque in Rep. ut rectè se habeat, advigilet. Quod autem Vischerus *bb)* similem in modum lupanaria ad majus malum evitandum rectè tolerari putat, in eô certè Theologos orthodoxos non habebit consentientes *cc*).

bb) p. 68. cc) vid. Balduin. lib. IV. cas. consc. cas. 18. p. 1193.

CAPUT V.

Moralitas Duelli extrajudicialis.

§. I.

AD extrajudiciale Duellum ordo jam nos ducit. Quod ipsum quoque nullo modo licitum esse pronunciamus, sive ex *irâ* procedat sive ex *invidiâ a)*.

a) respice ad Cap. I. §. 41. seqq.

§. 2. *Ira* vindictæ cupiditas est. Ac vindicta quidem non omnis improbatur: verùm quæ in hoc duellorum genere quæritur, publica certè non est, sed privata, h.e. non licita sed illicita. Peccat ergò, qui sibi rapit, quod est Magistratûs.

§. 3. Imò peccat & Magistratus ipse, si hîc conniveat, in bonum atque honestum publicum. Præclara hîc sunt verba in civilibus controversiis exercitatissimi Boecleri *b*): *Si utraque pars litigans civitati subest, tùm verò nullo modo decuerit hæc sacra regni (talia enim sunt omnia jura Majestatis) in privatas manus tradere, officioq; judicandi, quod publicum Deus esse voluit, privata per arbitria defungi.*

b) Dissert. de domin. emin. in Grot. lib. I. cap. 1. p. 119.

§. 4. Est & alia causa, quæ invisa privatis atque abominanda reddere talia certamina debeat. Sunt enim *remedia violenta*: qualibus locum non prius concedere oportet, quàm frustrà tentatis aliis.

§. 5. Adde, quod primo loco memorari debebat, *homicidii* periculum subesse, h.e. gravissimi criminis, quod sanè committit, quis-

quis

quis volens occidit alterum, utut noxium, si non habeat ejus feriendi legitimam potestatem.

§. 6. Imò certâ ratione duellator ejusmodi potest αὐτοχειρίας reus fieri, qvatenus αὐτόχειρ habetur, quisquis capitali se periculo absque justâ ratione objicit.

§. 7. Hîc à Duellorum Patronis illud maximè solet occini *Vitam & famam pari passu ambulare.* Quod quidem argumentum magno cum tumore profertur, sed si examines, prorsus elumbe apparebit.

§. 8. *Primò* falsum est, vitam & famam pari passu ambulare. Certè si famam eo sensu intelligas, quem illud hominum genus militare imaginatur, vel minimam offensam gladio ulcisci gloriosum, non ulcisci, aut provocanti non obsequi, infame censens. Non vera hæc, sed falsa gloria est, non solida sed apparens fama, quam nemo sobrius non dicam exæquaverit vitæ, sed aliquo loco nominandam judicaverit.

§. 9. *Secundò*: Quòd si famam interpreteris opinionem de verâ non imaginariâ virtute, ne quidem sic intellecta fama paria faciet cum vitâ. Vita semel amissa reparari non potest; fama innocenter corrupta (talem enim qui duello confligunt præ se ferunt, nec alia hujus est loci) potest c). Sit fama inter fortunæ bona præcipuum (cave confundas eam cum fundamento ipsius virtute): atqui vita veluti fundus est bonorum corporis, quæ in suo genere bonis fortunæ haud immeritò præferuntur.

c) Conf. Balduin. lib. IV. Cas. Consc. cap. 1. cas. 12. p. 886.

§. 10. *Tertiò*, si maximè famam æquipares vitæ, nondum tamen quod isti volunt, ita indiscretè sequitur, ut servandæ famæ causâ *qvovis modo* exponenda sit periculo vita. Non magis hoc svadendum est, quàm si quis ex adverso dicat, vitæ conservandæ causâ *qvovis modo* subeundum esse periculum famæ. Debent enim hîc, ut ubique, modi honesti ab inhonestis, legitimi ab illegitimis, liciti ab illicitis separari.

§. 11. Jam neque desunt honestam famam adversus calumnias tuendi justa media. Quæ si maximè nobis per iniquitatem fortunæ desint, nunquam tamen advocandum est ullum ex illicitis.

§. 12. Duellorum ex *invidiâ* oriundorum tantò major est fœditas,

ditas, quantò improbiorem irâ affectum esse novimus invidiam. Ira subitò animum opprimit, rationemq; ante vertit; lentè serpit invidia, deliberaturum excludit spacio. Ira non omnis mala; invidia toto genere vitiosa est.

§. 13. Omninò nihil est, quod Duelli hoc genus planè intolerandum & publico dignum odio excuset. De eo loquor, quod virtutem alienam nullâ aliâ de causâ infestat, quàm quia virtus est, & publicè lucet: de eo, quod gloriam alienam ferre non potest, atque id ipsum, quod invitare ad amorem debebat, convertit in amaritudinem odii internecini.

§. 14. Qui de amasiâ digladiantur, citiùs hi quidem colorem facinoris inveniant, cum non, ut nominis celebritas, ita & amica, quæ in conjugium quæritur, inter multos dividi queat. Veruntamen sub hoc etiam vel alio quovis colore transparet indignitas facti. Non procorum dissilientibus armis, sed utriusque sexus conjungendis animis, quærenda sunt jura matrimonii, Quòd si maximè jus ipsum veniat in controversiam, sunt & his litibus tribunalia posita, quæ cum illegitimis decidendi mediis neutiquam debent permutari.

§. 15. Quæ dicta sunt hactenus, provocantium maximè culpam detegunt. Quos, ubi cetera sunt paria, magis peccare provocatis, tanquam Duces facinoris, facilè intelligitur. Ac docuit eventus, plerosque provocatores occisos fuisse, superstitibus provocatis, Deo non obscurè sceleris atrocitatem in his capitibus puniente.

§. 16. Nec tamen culpâ levamus provocatum, quem, ut aliorum tubam in hujus criminis societatem sequeretur, nulla cogit necessitas.

§. 17. Imò verò inquies, cogit aliquando, ubi scilicet, nisi duellum condicat, minas interponit alter, fore, ut obviam fortè factus vel imparatissimus opprimatur.

§. 18. Respondeo, patent judicia etiam contra minas, atque his remediis tempestiva inveniunt.

§. 19. Sit ergò denique fixum hoc, extrajudicialia civium duella, quia civilem societatem evertunt, magnam flagitiorum licentiam invehunt, magistratûs autoritatem minuunt, approbata à Deo judicia conculcant, nullo esse modo in Republica toleranda.

 CAPUT.

quis volens occidit alterum, utut noxium, si non habeat ejus feriendi legitimam potestatem.

§. 6. Imò certâ ratione duellator ejusmodi potest αὐτοχειρίας reus fieri, qvatenus αὐτόχειρ habetur, quisquis capitali se periculo absque justâ ratione objicit.

§. 7. Hîc à Duellorum Patronis illud maximè solet occini *Vitam & famam pari passu ambulare.* Quod quidem argumentum magno cum tumore profertur, sed si examines, prorsus elumbe apparebit.

§. 8. *Primò* falsum est, vitam & famam pari passu ambulare. Certè si famam eo sensu intelligas, quem illud hominum genus militare imaginatur, vel minimam offensam gladio ulcisci gloriosum, non ulcisci, aut provocanti non obsequi, infame censens. Non vera hæc, sed falsa gloria est, non solida sed apparens fama, quam nemo sobrius non dicam exæquaverit vitæ, sed aliquo loco nominandam judicaverit.

§. 9. *Secundò*: Quòd si famam interpreteris opinionem de verâ non imaginariâ virtute, ne quidem sic intellecta fama paria faciet cum vitâ. Vita semel amissa reparari non potest; fama innocenter corrupta (talem enim qui duello confligunt præ se ferunt, nec alia hujus est loci) potest c). Sit fama inter fortunæ bona præcipuum (cave confundas eam cum fundamento ipsius virtute): atqui vita veluti fundus est bonorum corporis, quæ in suo genere bonis fortunæ haud immeritò præferuntur.

c) Conf. Balduin. lib. IV. Cas. Consc. cap. 1. cas. 12. p. 886.

§. 10. *Tertiò*, si maximè famam æquipares vitæ, nondum tamen quod isti volunt, ita indiscretè sequitur, ut servandæ famæ causâ *qvovis modo* exponenda sit periculo vita. Non magis hoc svadendum est, quàm si quis ex adverso dicat, vitæ conservandæ causâ *qvovis modo* subeundum esse periculum famæ. Debent enim hîc, ut ubique, modi honesti ab inhonestis, legitimi ab illegitimis, liciti ab illicitis separari.

§. 11. Jam neque desunt honestam famam adversus calumnias tuendi justa media. Quæ si maximè nobis per iniquitatem fortunæ desint, nunquam tamen advocandum est ullum ex illicitis.

§. 12. Duellorum ex *invidiâ* oriundorum tantò major est foeditas,

ditas, quantò improbiorem irâ affectum esse novimus invidiam. Ira subitò animum opprimit, rationemq; ante vertit; lentè serpit invidia, deliberaturum excludit spacio. Ira non omnis mala; invidia toto genere vitiosa est.

§. 13. Omninò nihil est, quod Duelli hoc genus planè intolerandum & publico dignum odio excuset. De eo loquor, quod virtutem alienam nullâ aliâ de causâ infestat, quàm quia virtus est, & publicè lucet: de eo, quod gloriam alienam ferre non potest, atque id ipsum, quod invitare ad amorem debebat, convertit in amaritudinem odii internecini.

§. 14. Qui de amasiâ digladiantur, citiùs hi quidem colorem facinoris inveniant, cum non, ut nominis celebritas, ita & amica, quæ in conjugium quæritur, inter multos dividi queat. Veruntamen sub hoc etiam vel alio quovis colore transparet indignitas facti. Non procorum dissilientibus armis, sed utriusque sexus conjungendis animis, quærenda sunt jura matrimonii, Quòd si maximè jus ipsum veniat in controversiam, sunt & his litibus tribunalia posita, quæ cum illegitimis decidendi mediis neutiquam debent permutari.

§. 15. Quæ dicta sunt hactenus, provocantium maximè culpam detegunt. Quos, ubi cetera sunt paria, magis peccare provocatis, tanquam Duces facinoris, facilè intelligitur. Ac docuit eventus, plerosque provocatores occisos fuisse, superstitibus provocatis, Deo non obscurè sceleris atrocitatem in his capitibus puniente.

§. 16. Nec tamen culpâ levamus provocatum, quem, ut aliorum tubam in hujus criminis societatem sequeretur, nulla cogit necessitas.

§. 17. Imò verò inquies, cogit aliquando, ubi scilicet, nisi duellum condicat, minas interponit alter, fore, ut obviam fortè factus vel imparatissimus opprimatur.

§. 18. Respondeo, patent judicia etiam contra minas, atque his remediis tempestiva inveniunt.

§. 19. Sit ergò denique fixum hoc, extrajudicialia civium duella, quia civilem societatem evertunt, magnam flagitiorum licentiam invehunt, magistratûs autoritatem minuunt, approbata à Deo judicia conculcant, nullo esse modo in Republica tolleranda.

Caput VI.
Moralitas Duelli extemporanei.

§. 1.

SUpereſt *Extemporanei* Duelli moralitas. Id nos contemplatione dimicantium perſonarum triplex fecimus *a*). Atque ex his duellum *hoſtis cum hoſte* moralitatem eandem habet cum ipſo bello publico, ut de eâ nihil ſit monendum amplius. Poteſt autem bellum publicum utrinque juſtum eſſe politicè quidem, ſed nunquam ethicè.

a) Cap. I. §. 46.

§. 2. *Socii quoque cum ſocio* duellum improviſum nunquam utravis ex parte juſtum ethicè eſt: citius utrinque injuſtum, ubi ſcilicet ambo arma pari propenſione corripiunt, cùm offenſas orientes aliis remediis ſopire potuiſſent.

§. 3. Ex alterâ tamen parte juſtum eo caſu pronunciamus, ſi alter invitus ad armorum conflictum trahitur, aut paratus etiam ad concordiam ſarciendam. Quo quidem caſu, ceteris, quæ moralitatem attingunt, paribus, æſtimari res poterit è jam dicendis de duello viatoris cum latrone. *Latronis* autem vocabulo quemvis invaſorem intelligimus, *viatoris* quemlibet invaſum.

§. 4. Præſupponimus enim & hîc tùm vim latronis, tùm innocentiam Viatoris Atque ſic latronis *injuſta* erit cauſa, viatoris *juſta*, ſenſu certè negativo *b*), ut ſcilicet non peccet reſiſtendo, ſique tueri ſe aliter non poſſit, vulnerando invaſorem, vel etiam occidendo.

b) de quo ſenſu conſule Grotium lib. I. de Jure Bell. c. 1, n. 3.

§. 5. Ubi omninò diſtinguendi veniunt actus duo, unus defendendi ſui, qui exercetur muniendo ſe vel ſua verſus violentiam invadentis; alter offenſionis reddendæ, qui fit, uti dictum eſt, vulnerando vel etiam occidendo. Juſtum autem hoc in caſu defendendi ſui actum eſſe, planum & expeditum eſt.

§. 6. Quod verò ad actum reddendæ offenſionis attinet, circa hunc illud, quod de juſtitiâ viatoris ſeu invaſi ſenſu negativo acceptâ paulò ante *c*) ſtatuebamus, ex iis, quæ maximi Viri Grotius

tius *d*) & Rachelius *e*) differunt, ita temperandum nobis est, ut si hac in Tragœdiâ vir tantæ æstimationis, ut ex ejus vitâ publica salus pendeat, personam agat *invasoris*, invaso non nisi defendendi sui jus competere, reciprocandæ autem offensionis potestas moralis nulla esse intelligatur. At verò, ubi Vir qualem diximus, ab altero *invaditur*, jus habebit ipse non modò defendendi, sed etiam reciprocè offendendi, idque sensu non tantùm negativo, sed & positivo, hoc est, securitati suæ prospicere, opus erit non modò licitam, sed & debitum.

c) §. 4. d) lib. II. de J. B. c. I. n. 8. 9. e) Disp. de Duell. n. 22.

§. 7. Oportet autem huic toti negotio adesse *moderamen*, ut vocant, *inculpatæ tutelæ*, cujus expositio videri potest apud Gregorium Sayrum *f*), Jo. Ægid. Trullench *g*), & alios. Ad quam, habito inprimis ad æquales cetera personas respectu, requirimus, ut (1.) invasor vim actu inferat, aut ad inferendam ita se paret, ut de periculo suo moraliter certus esse queat invasus: nam & hic ipse apparatus profectò jam securitatem alterius violat: (2.) invasus alio quam violentiæ reciprocæ præsidio tueri corporis securitatem non possit: (3.) idem non majorem adhibeat dictæ violentiæ gradum, quàm qui ad istum finem est necessarius: denique (4.) quicquid hîc agit, non agat ulciscendi, sed sui defendendi animo.

f) Clav. Reg. lib. VII. c. 10. n. 18. f. 442. seq. g) op. Moral. Tom. II. (lib. V. expos. Decal. c. 4. dub. 4.) f. 42. seq.

§. 8. Pertinent ea, quæ diximus, ad periculum corporis, h. e. vitæ & incolumitatis membrorum. Quod tametsi à latronibus intentari ferè solet non tàm mortis alienæ, quam bonorum fortunæ cupiditate: tamen ubi evaginato gladio res geritur, nemo negaverit etiam corporis præstò esse periculum. Ut propemodum frustranea possit haberi ea quæstio, quæ, quantum Viatori versus latronem armatum liceat in solo externarum opum periculo, investigat.

§. 9. Itaque mihi præsertim ad finem properanti atque tempore excluso, liceat hanc controversiam, alioqui cautionibus non paucis indigentem, transilire, lectoremque benevolum ad Autores tùm alibi tùm præsertim §. 6. & 7. citatos ablegare. Quem

rogo

rogo de cetero, ut sicubi ex asse ei non satisfaciens ipsius spem fuerim frustratus, id ingenii tenuitati condonare ne dedignetur. Sanctissimo verò Numini pro concessis in hoc studiorum genere viribus devoto calamo ac mente decerno gratias. Benedictum sit ejus nomen in seculorum secula.

COROLLARIA.

I.

Mirabile genus Dedicationum illud est, quod observabamus in Opere Morali Joannis Ægidii Trullench. Is dedicavit eos libros sanctissimo Sacramento Eucharistiæ. Nempe quia in Collegio Corporis Christi Valentino Primarius & perpetuus fuit Collega.

2. *Cùm A. 1555. Cardinales novos crearet Paulus IV. Pontifex, etiam de Claudio* Espencæo *Parisiensi Theologo, &* Joanne Casâ, *qui Pontifici ab Epistolis erat, in Cardinalium Collegium cooptandis actum. Sed ab æmulis uterq; ad Pontificem delatus:* Espencæus *quidem, quòd quædam perperam inter concionandum de aureâ, quam vulgò appellant, Legendâ locutus, cùm ferream potiùs vocandam esse contenderet, posteà publicè recantare coactus fuisset;* Casa, *quòd etiam carmine rem nefandam in juventute laudasse diceretur. Sicq; ob diversas longè causas* uterque ab eâdem dignitate summotus est. *Testis Thuanus lib. XVI. Hist. f. 326. cujus ipsa verba hîc recitavimus. De Espencæo idem hoc voluit B. Dorscheus, cùm scriberet, eum* Cardinalis galerum amisisse, *quòd Historiam Lombardicam ferream dixisset. Nihil ergò nisi rabiem suam produnt Moguntini Theologi, cùm in Judicio æqvitatis, ut vocant, p. 44. id qvod Dorscheus scripserat, maledicentissimè incessunt, hanc solam ob causam, quia Espensæus nunquam fuit Cardinalis. Atqui* amitti *dicuntur etiam spe devorata.*

3. Theophili Elychnii *nomine varia prodierunt opuscula. In his:* Der Mönche Affenspiel. Item: von dem Janizaren des Bapsts. Nec non: Bedencken/welcher massen ein Stand sein Einkommen verbessern möge. *Sed quis est ille personatus Elychnius? Nacti nuper codicem sumus, cui sub isto fictitio nomine adscriptum erat nomen* Georgii Obrechti J. C. *Si certiora qvis docebit, non deerit nobis cupiditas discendi.*

FINIS.